

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 107. (Neovidensis 1808. Nro. 106.)

*Secretum litterarum commercium inter vivos
et vita functos*

Tabellio Claudicans in Calendario Maenano,
ad claudicantem Daemonem Domini le Sage,
in Elysio.

Ex Mundo Sublunari.

Elstun-Meum, Die Martis, 17. Jan. 1809. (Neov. 30. Dec. 1808)

Nulla nos intercedit Cognatio, nominis solum affinitas — namque uterque claudicamus, hac sola permotus ad claudicantem Dæmonem scribendum decrevi.

Paullo uberius Genealogiam meam declarandi animus fert. Nomen mihi est calci-trans, & claudicans, promte nihilominus volans, cursitansque Tabellio, id est; Evangelico reformatum Catholico novum & gallico Europæum Universale, Status, belli, narrationum & historiarum Calendarium &c. quam prolixa splendida, vetustis hispanicis titulis exoellens titulatura! Indico menses, dies, anni tempus, grandines & tempestates, Bachiferias annuncio, tristemque quadragesimam, præterea Tabellas exhibitæ venæ sectionum, cum Elencho nundinarum majorum & minorum. Certum te reddere possum, adeo fortunatum me adusque fuisse, ut astro-nomico-astrologico vaticinia mea exacto e-

ventu probata sint, ut homines præ admiratione sæpe exclamaverint: Claudicans Tabellio malo genio agitari debet, quod omnia eventu combrorentur.

Nuper intellexi: te fœtum celebris scriptoris Sagii in Gallia esse, at mihi pater genuinus Fridericus cõndam Wolgemuth celebratus Astronomus Mathematicusque, (Mollior ossa cubent!) nulla proin nos intercedere potest cognatio.

Ad diuturnam existentiam meam docendam animadvertere debeo: me Centum undecim annis germanico ad Mœnum & Rhenum mundo inerrare; Quotannis novam sortior vestem novamque costam, & Calendis Jani quidem, qua renovatus claudico ad finem usque anni. Oh quantis jam supervixi! — tantam ætatem tu Claudicans socie! nequidquam producendo es. Dudum jam intra pulveres Bibliothecarum jaces, & vetuli solum meminerunt claudicantis Dæmonis a selecti. Verum ego legor ab illustribus æque ac ignobilibus, senibus juxta, & juvenibus, quotidie.

Mulum mirabar: quod mihi ceu mathematicæ & astronomicæ proli fœdum claudicantis Dæmonis nomen inditum. Nuper in Vocabulario Cl. Joannis Christoph. Adelung, opere Classico scriptum legi: claudicantem nuncium figuratum dictum esse, & in vita communi tantumdem denotare, quam triste inamœnum nuncium. Hoc quidem a me consilium longissime abest; equidem populari-

bus meis meras jucundas, hilaresque relationes dare volo ad honorem Calendarii assevero: nescio ut nomen hoc adeptus sim.

Hodie potissimum me hæc denominatio angit. Annus 1808 cras occidit, novus pendendie ingreditur. Ex multo tempore usavenit in hoc optimo, aut pessimo mundo ad novum annum vota depromere; ipsæ Ephemerides, quæ cum Calendariis affinitate quadam junguntur, hunc veterem germanicum morem retinent, quare cum Regno Minois Calendas faustas Jani precabor, ad hunc, qui sequitur, modum:

„Novus annus illustris, solennis, memorabilisque dies est, distinctus spebus & expectationibus, est advena, hospes, qui nos invisit, cui læti, lubentesque occurrimus, quin eum noscamus, est prima sortem nostram complectentis libri pagina, est Janua novæ futuræ conditionis, est pons, quem trajiciendum hebemus, quique aversum nobis collabitur, heu sic omnia transeunt! —

Opulentis itaque precor amicum sincerum, egenis, si non liberales, benevolosque saltem jactabundos benefactores, virginibus divitibus pauperem, at navum maritum; pauperibus puellis sponsalia hodie mature-scentis viri non precor; vanitati deditæ fidele speculum, noctu diuque studentem togam braccasque integras, Germanis patientis animi copiam, Gallo latum pontem Caletodoveram, principibus & Excelsis — quid precandam Diis terrestribus? —

Supersunt adhuc vota politica, ast quis omnia recensendo? cum omnis Status aliam rationem habeat, antequam tamen veterem vestem morientis anni exuam, Statum & politicum orbis situm adumbrandi animus est, e quo quisvis advertet, quid vovendum sibi supersit.

Magna pugna orbis consistit inter Continentem & mare. Inter Galliam & Angliam — Martem & Neptunum. Quævis bella a Gallia hucusque gesta eum scopum habere, Continentem ejusque Status adversus Angliam conjungendi, aut commune fœdus totius Europæ adversus M. Britanniam erigendi. Hic scopus, hoc fœdus, & universalis unio de præsentibus obtenta est. Europa omnia in propectu stat, & adversus universalem hanc Unionem non secus & — Anglia. Ex quo perspicere licet: quam potens hic Status maritimus sit, quoniam magno fœderi reniti audeat.

Galliæ adstat in hoc fœdere Russia, status, qui partem Europæ, & partem Asiæ ambitu suo complectitur. Russia novissimo bello partem Poloniæ (Bialastok) & jam Svecicam Finniam usque Torneum obtinuit. Coptæ ejus in Moldavia & Valachia consistunt Turciæ, si fœderi Continentis nuncium mittere vellet, minans.

Animadversione digna res: Russiam a priore hoste suo Gallia, Provinciarum accessionem & Incrementum, contra a priore amico Anglia, Jacturam (navium in Portugallia) passam esse.

Turcia hodie Anarchia est, futura politica ratio Ottomanorum definiri inquit.

Inter Galliam, Russiam Turciamque in fœdere magno parata adstat Austria. Omnibus amica, parietem intermedium inter tres Status efficit. Venerabilis vetustate status, a cujus conservatione distantia duorum contactus punctorum Galliarum & Russiæ pendet.

In hodierna Turciæ Anarchia probabile est politicam novam directionem obtenturam, pretiumque conservandæ Austriacæ Monarchiæ agnoscetur. Id genus media potentia potentem prærogativam inter Status sibi vindicet necessum est, ut quævis occupatio de Imperio Turcico suscepta ab una vel altera parte gravia consecutaria pro una alteroque statu progignens, impediatur.

Borussiæ multum diuque vires restaurandæ erunt, & hæc magno fœdere illigata est — verum passive. Interim videtur Russiæ adhærere velle.

Status fœderis Rhenani eam lineam directionis sequuntur, quam Gallia ducit.

Hispania & Portugallia in statione consistunt ut ad obsequium reducantur, & ab Anglicano jugo liberentur.

Sveciæ tandem succumbendum est; ea Anglorum partes deserere jubebitur quo fiet: ut vexillis Britannicis in Mari quoque Balthico aditus prohibeatur.

Dania — absque Classe, Britannis nihilominus parvulis navigiis periculosa, a magno fœdere compensationem opperitur.

Neapolis consilia sua ad occupandam Siciliam dirigit.

Status Americani in magno fœdere neutri parti adhærentes consistunt, at Industriam & Oeconomiam omni, qua possunt, ratione promovent; ad se intuitu mercium Europæarum independentes reddendos.

Hic Status Europæ, ita comparatus, annum 1808 relinquet, & hoc in prociuctu successori suo tradetur.

Interea claudicans orbem obeo, ac subin claudicans nuncium adfero Londino de 9. Dec. seqv. argumenti:

Rege die 23. p. m. vespere hora 5. isthinc Windsorium revertente, tragicus Casus accidit, qui periculosior fieri potuisset. Cum Sua Maj. deficiente luce vespere ad vicum Turnham — Green adpulisset, Equus anterior velocis vectionis occasione, cui Veredarius insedit, prolapsus, eundem stravit. Animi præsentia alterius veredarii lapsum Carpentis impedivit. Incola loci, qui fortuito proximus adstabat regi opem laturus adcurrit, curru excedere illæsum & discedere fecit. Interim Sux Maj. lutosam permeare viam, diu sub dio & usque expectare necessum erat, quo Regina adventasset. In hujus Carpentis continebantur præter Majestatem dominx principes Elisabetha, Augusta & Nobilis Aylesbury. Prior mox curru exiit, eique rex successit. Princeps virgo ad notabilem distantiam per lutum aliud usque Carpentum progredi debuit, quo Principes

Maria, Sophia & Amalia cum Illustri Cranley continebantur. Currus regie, cui duo equi iniuncti erant, vacuus sequebatur. Anteriores equi nimis affecti erant, veredariusque adeo sauciatus erat, ut æger ad lectum deportari debuerit.

Aulicæ Ephemerides de 19. Nov. memorant: die 10 h. m. Thetidem Fregattam 44 tormentorum, 330 virorum 106 armorum ab bellica nostra nave Amethysto intermedia occiduo & austro plaga a Goa exacto acri, cruentoque proelio adprehensam esse. Pugna, qua hostis eximiam singularemque strenuitatem testatus, cepit 5. vespertina, duravitque ad 1. noctis. Naves sibi contiguæ dimicavere. Amethysto linealis Triumphus, Fregattaque Schannon suppetias tulit, quo factum: ut Thetis abducere-
 tur, hæc desperantis more adversus præpotentiam se defendens, de integro malo orba fœdeque destructa est.

Neapoli die 10. Dec. Decreto Regio de 1. h. m. intuitu vigentis in Calabria quietis, Decretum de 31. Juli 1206, quo provincia ad statum belli reducta, revocatum est, hæc deinceps ad morem aliarum administranda præcipitur.

Parisiis die 24. Dec. Rumor discurreit, exercitum nostrum in Catalonia pro Girona consistere.

Contra Admiralis Savary, qui trinam in Hybernia excensionem fecit, & in peritissimis rei nauticæ viris in Gallia censit,

superioris mensis medio in urbe Mauze æternitatis pelagus ingressus est.

In hac Typographia prostant venales :

Högyészi, Doctrina Religionis, R. Catholicae, Pars I. de septem novae Legis Sacramentis, de Purgatorio, & Indulgentiis. 1805. 8. 54 xr. Pars II. de Virtutibus Theolog. Fide; Spe, & Charitate, Religione Revelata; ac aliis Fidei orthodoxae dogmatibus. 7806. 8. 1 fl.

Ars longævaæ, hilarisque vitæ 1805. 8. 1 fl.
Fedor, és Mária, vagy a' hóltig-tartó ritka hűség, és a' nagyra vágyásból származott gyászos, de iméltó szerentséltenség' tüköre. N. V. Ajtay Samuel által. 1807. 8. 1 fl. 12 xr.

P. Basilii Alexovics Sermones Sacri, festivales & Dominicales, V. Tomi 8. maj. 8 fl. quivis Tomus separatim a 2 fl.

Hertzeg Piripionak tündér története irta Wieland után Magyar Földjeinek mulattatására Fellegváry Agoston. 8. 1804. 36 xr.

Wieland, Téli Regi. 8. Posonyban, 1804. 20 xr.
Theophron, vagy a' tapasztalt Tanácsadó a' tapasztalatlan Ifjúság hasznára. 1804. in 8. 1 fl. 45 xr. Posta papirosra 13 fl.

Principia Politicæ, Commercii & rei Aerariæ. E germanicis lucubrationibus clarissimi viri Josephi Sonnenfels Latine reddita a Wolfgango Beke, in Reg. Magno-Varadinensi Academia scientiarum Politico-Camerarium Juris cambialis ac mercatorii Professore P. O. T. I. & II. 8. 1808. 4. fl.